

Tracta .VII. prime partis

Retiruntur iam contractum. quia istis ordinibus votum solene continentie est annexum. extra de vo. et vo. redemptio. c. quod votum. li. vi.

De impedimento ligaminis

Si impedimentum istud scilicet cum quis alligatus est alteri uxori a deo semper fuit validum quod antequam aliqua constitutio ecclesie super hoc emanaret nunquam alligatus uxori potest vel potuit aliam recipere. nec unquam licuit hoc absque speciali dispensatione dei qui fuit institutor matrimonii. sicut dispensauit deus cum abraam et iacob et alijs patriarchis. Sed quoniam alius potest esse alligatus alicui mulieri per sponsalia tantum. et alteri per matrimonium. videndum est quod iuris sit in vtrisque. Et ideo notandum est quod si aliquis contraxerit matrimonium vel sponsalia cum aliqua per verba de futuro non debet contrahere cum alia. nec illa cum alio. et si contraxerit cum alia sponsalia per verba de futuro debet dimittere secundam et redire ad primam. sed si contraxerit cum alia sponsalia per verba de presenti vel per verba de futuro. et fuerit secuta carnalis copula tunc debet stare matrimonium cum secunda. etiam si sponsalia contracta cum prima fuerint iuramento vallata. sicut debent agere penitentiam de iuramento et fide mentita. extra de spon. duorum. c. i. et de spon. c. sic ex litteris. Si autem matrimonialiter est alligatus uxori si non sit secuta inter eos copula carnalis potest alter altero invito religionem intrare. et que remanet in seculo potest cum alio vel alia contrahere. extra de conuer. coniuga. verum post consensum. et. c. ex publico. extra de despon. c. licet propter solitum. Si autem fuerit inter eos carnalis copula secuta nunquam quam diu vixerint possunt se inuicem dimittere nisi causa fornicationis. et tunc si se dimiserint aut reconcilierint aut remaneant in nuptiis. quia secundum scripturas saluatoris Math. vi. c. Dis que dimiserint uxorem suam etc. Sed ponatur quod uxor credens maritum mortuum contrahit cum alio postea ille reuertitur. quod fiet? Dico quod quam diu ita credit nec ipse reuertitur ipsa excusatur ab adulterio vel fornicatione propter ignorantiam facti. et filij si quos ex secundo suscepit iudicant legitimi. sed statim cum reuertitur primus debet recedere a secundo et redire ad primum. quod si non facit adultera iudicatur. xxx. iij. q. ij. Cum per bellicam. et. c. si virgo. Sed quod si non reuertitur